



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

Synopsis Tomi Quarti De Actis Sanctorum Octobris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

SYNOPSIS
TOMI QUARTI
DE ACTIS SANCTORUM
OCTOBRIS

Hic tomus dies tantummodo octavam et nonum mensis Octobris percurrit, nec nisi septuaginta et unum Sanctos Beatosque nominatim una cum aliis triginta novem anonymis complectitur. De hisce, in quatuor classes divisus, eo, quo occurrunt, dierum ordine pauca hic de more præmittimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Die viii primus ex hac classe occurrit *Artemon* presbyter, sub Diocletiano passus. Omnia fere, quæ de *Metropolo* ep. C., Treviris culto, circumferuntur, sunt incerta. *Felix* ep., cujus gesta in episcopatu ad examen vocavimus, videtur anno cccclxxv ad sedem Comensem evectus. *Evodii*, Rothomagensis in Normannia seculo v episcopi, Acta e Ms. Rothomagensi edimus, Commentario prævio illustrata. Quis sit *Dionysius* ep. M., qui cum nonnullis aliis in Hieronymianis celebratur, ignoramus. De *Caletrico*, Carnotensi ep., Syllogen texuimus. *Grati*, Cabilonensis sec. vii episcopi, Vitam, præmisso, quo illustratur, Commentario, e Claudio Perryo edimus. Die ix damus *Dionysium Areopagitam*, episc. M. Etiamsi ad iii Octobris diem plerisque Fastis sacris sit incertus, huc tamen à nobis fuit remissus, quod ob connexionem, quæ inter disputanda de eo et de *Dionysio* Parisiensi ep. M. necessario occurrit, ad unam hanc diem, *Dionysio* Parisiensi sacram, de hoc simul et de *Areopagita* agere sit visum. Ac primo quidem de *Dionysio Areopagita* tractantes, controversiam antiquam, qua, an hic à *Dionysio* Parisiensi sit diversus, disputatum acerrime fuit, examinamus, ac Hilduini rejectis *Areopagiticis*, confutatisque, quibus nonnulli innixi *Dionysium Areopagitam* cum Parisiensi confundunt, argumentis, nos eorum, qui hunc abs illo secernunt, opinionem amplectimur. Prolixo porro, quo id facimus, reliquaque, ad *Areopagitam* spectantia, discutimus, Commentario prævio Acta etiam, utut *Areopagita* perperam afficta, subjungimus, duabus insuper ad horum calcem adjectis Appendicibus, in quarum altera de *Areopagita* reliquiis, in

altera de Scriptis disserimus: tum vero, interposita primum de *Demetrio*, Alexandrino sub seculi ii finem patriarcha, Sylloge historico-critica, de *Dionysio*, Parisiensi ep. M., agimus, ac quæcumque de celeberrimo isthoc Parisiensium apostolo, quem non i, sed in demum seculo in Gallias missum arbitramur, adstruuntur à variis, diffuso Commentario sedulo discutimus, eumque una cum sociis *Rustico* presbytero et *Eleuthero* diacono non intra, sed extra civitatem Parisiensem circa annum cclxxxvi martyrio coronatum statuimus. Acta, quæ vel ex eo, quod quarto demum post rem gestam seculo scripta videantur, fidem integram non merentur, e Felibiani editione recudimus, adjectis itidem Appendicibus geminis, in quarum altera de *Dionysii* Sociorumque MM. cultu, reliquiarum translationibus miraculisque sec. vii posterioribus agimus; in altera singularem plane, qua de *Dionysii* Parisiensis corpore decertatur, controversiam examinamus. *Arnoaldus*, episcopus Metensis, de quo præter cultum pauca dumtaxat nota sunt, usque ad annum ccix vixisse videtur. *Nidgarius* et *Adalbero*, Augustani episcopi, quorum primus quando sederit vel quid egerit, haud satis innotescit, cultu sacro, ut apparet, extra Augustanum S. Udalrici monasterium gravissi non fuere.

EX STATU MONASTICO.

Die viii primus ex hoc statu se offert *Badilo*, Lutosæ in Hannonia abbas, circa annum, ut apparet, cxi vita functus. *Badiloni* accedunt *Hugo*, Hierosolymitanus seculo xiii eques, et *Compagnus*, Camaldulensis seculo eodem monachus. De priori Synopsim historicam, e Bosii sermone Italico Latine redditam, Comm. prævio subjecimus; de posteriori vero confecimus Syllogen, qua Beati gesta corporisque incorrupti translationes sumus complexi. Die ix ab Ægypto suppeditatur *Andronicus*, eremiticæ post conjugium vitæ professione clarus. Eodem die recensem *Savini* seu *Sabini* monachi Vitam, Commentario prævio illustratam. *Gisleno* conf. archiepiscopatum Atheniensem abjudicamus, aliisque,

liisque, quæ ad eum pertinent, sedulo discussis, Commentario prævio, quo id præstamus, Vitam, ab auctore anonymo conscriptam, subnectimus, addita etiam alterius authoris anonymi lucubratione, qua, in lucem nondum emissa, *Gisleni* reliquiarum inventio miraculaque exponuntur. De *Lamberto* et *Bellerio*, *Gisleni* discipulis, pauca dumtaxat habemus compta, suntque partim fabulosa, quæ de *Gemino*, forsitan monacho, perhibent ejus Acta. *Deusdedit*, Casinensis sec. ix abbas, solemnî ritu Sanctis, ut prodigiis clarus, haud fuit adscriptus. *Petri Galatæ* monachi gesta e solis magnis Græcorum Menæis innotescunt. *Guntheri*, Benedictini seculo xi monachi, Acta ab authoribus, ut apparet, partim Wolfherro æquali, partim anonymo minus antiquo sunt conscripta. Hæc, miraculis etiam, quæ Beatus patravit, ad calcem adjectis, e Mabillonio edimus. Tomo coronidem imponunt *Goswinus*, Aquicinctinus prope Duacum sec. xii abbas, et *Joannes Lobedarius* Ordinis S. Francisci, Culmzæ in Prussia cultus.

EX STATU SECULARI.

Die vii initium tomus ducit à *Simeone* propheta. Anne hic, qui Christum, dum Hierosolymis offerretur in templo, in ulnas suscepit, sacerdos exstiterit, examinamus in Sylloge. *Demetrius*, seculi iv initio Thessalonicæ passus, præ reliquis apud Græcos est celebris. Post Commentarium prævium tres exhibemus Vitas seu Passiones, quarum tamen nulla, quod omnium antiquior seculum vii forsitan haud præcesserit, fidem integram meretur. Vitis subjungimus primo Miracula, tribus libris comprehensa, deinde vero etiam Analecta de unguento potissimum, quod de *Demetrii* tumulo stillat, olimve saltem stillavit. *Januarius*, *Fauslinus*, *Martialis*, *Privatus*, *Eraclus* et *Julianus* MM., seculo incerto Antiochiæ passi, haud aliunde quam ex Hieronymianis, e quibus illos una cum *Dionysio* ep. et *Pelagia* recensuimus, sunt noti. Nescitur etiam, quo seculo passus sit *Petrus* M., Hispali in Hispania Bœtica cultus. *Amoris* conf., qui ix forsitan sec. floruit, gesta sacrumque Belisæ ac vicinis in oppidis cultum exponimus in Commentario, Vitis geminis, quas edimus, præmisso. Diem ix aperit *Abraham*, patriarcharum maximus. E duabus sententiis, quarum altera hunc LXX, altera cxxx Tharæ patris sui anno natum statuit, posteriorem ut verosimiliorem amplectimur, ac dein de nonnullis celeberrimi Viri gestis operose disserimus. Nec tantum hunc in finem Scriptura sacra utimur; sed et SS. Patrum, historicorum interpretumque commentationes. Mosaicæ narrationi su-

binde adjungimus, Commentario etiam critico-historico, quo hæc præstamus, in-textis ad calcem nonnullis, quæ de antiqua sanctissimi Patriarchæ veneratione, sacrarum reliquiarum inventione legitimoque in ecclesia etiam Latina cultu comperimus. *Domnini* seu *Donnini* martyrium et cultus est certus; fidei vero incertæ varia, quæ de eo exstant, Acta. Horum antiquiora e codice Fuldensi Comm. prævio subnectimus. E solis Hieronymianis duas exhibemus Martyrum classes, quarum prima *Atticum*, *Luddulum* seu *Lugdulum*, *Septimum* et *Julium*; secunda vero una cum *Primina* *Marcellum* seu *Marcellinum*, *Geminum* seu *Gentium* et *Nuvium* seu *Nivium* complectitur. Trium posteriorum ætas, priorum autem quatuor et ætas et palæstra ignoratur. Id ipsum etiam locum obtinet de seculo, quo *Baractalis*, cujus cultus est certus, martyrii palmam retulerit, nec nisi e scriptoribus recentioribus gesta quæpiam *Domnini* conf., qui sec. vii initio obiisse fertur, memoranda invenimus.

EX SEXU FEMINEO.

Reparata V. M., verosimilius sub Decio passa, quæ die vii occurrit, diversa habet Acta, quorum alia stilo soluto, alia ligato sunt conscripta. Priora, ut sublestæ etiam fidei, eo tamen modo, quo a Marteneo sunt vulgata, subjungimus Comment. prævio, in quo sedulo omnia, quæ ad *Reparatam* pertinent, discutimus. *Palatiatis* et *Laurentie* VV. MM. cultus sacer est certus; gesta vero plane incerta. *Benedicta* V. M. in agro Laudunensi est passa. Etiam si hujus Acta fabulis sint respecta, ea tamen, ne immerito a nobis culpam putentur, Commentario prævio subnectimus. Præter *Thaidem* pœnitentem, cujus Vitas duas, metricam unam, prosaicam alteram, edimus, damus etiam, interjecta primum de *Libaria* V. M., quæ Tulli colitur, Sylloge, pœnitentem alteram, nomine *Pelagiam*, a *Pelagia* M., de qua simul et *Dionysio* ep. ac Sociis MM, præmissa tamen de *Palladia* et *Porcaria* Autissiodorensibus virginibus Sylloge, egimus, verosimilius distinctam, quæ Vitæ suæ, quam Comment. prævio subjicimus, scriptorem æqualem Jacobum diaconum est nacta, sacroque apud varias gentes cultu evasit percelebris. De *Keyne* V. genere sanctitatisque fama pauca dumtaxat in Comm., haud magnæ fidei Actis, quæ ex Capgravo edimus, præmisso, notanda habuimus. Nec multa de *Triduana* itidem V., in Aberdonensi Scotiæ diœcesi culta, innotescunt, huicque idcirco Syllogen dumtaxat, qua illa exponuntur, texuimus; quod et eandem ob causam de *Valeria* et *Pollena* VV. Hunonis-curiæ cultum nactis, iterumque deinde

de de *Eusebia* abbatissa ac Sociabus ejus xxxix monialibus MM. prope Massiliam passis, præstitimus. De *Ragenfrede* abbatissa confecimus Comm. historico-criticum, in quo, stabilita primum chartæ Carolinæ, in Dononiensis monasterii favorem concessæ, auctoritate, fuisse illud a *Ragenfrede* fundatum, ostendimus, ac nonnullis præterea, quæ ad idem monasterium spectant, discussis, omnia etiam, quæ de sancta illa Dononiensi Abbatissa comperire fas fuit, docemus. Diem hunc claudit *Birgitta* vidua, Ordinis, a suo nomine dicti, fundatrix. Binæ hujus penes nos exstant optimæ fidei Vitæ hactenus ineditæ, quarum altera Birgerum, altera Bertholdum habet auctorem. Ambas, Appendice insuper, quæ Sanctæ miracula

complectitur, ad calcem adjecta, publici juris facimus post Comm. in quo non tantum *Birgitta* gesta illustrantur, verum etiam Bulla, qua a Bonifacio IX Sanctis fuit adscripta, recensetur, ac quam fidem Revelationes ejus mereantur, Oudini in hæc dieteriis confutatis, exponitur. Die ix præter *Priminam* M., et *Athanasiam*, S. *Andronici* conf. conjugem, de quarum prima ex Hieronymianis simul cum *Marcello* Sociisque MM., de secunda vero una cum *Andronico* egimus, damus etiam *Publiam*, Antiochiæ in Syria abbatissam, illustri in Julianum Apostatam facinore præcipue notam ac postremo *Ollam* V., de qua vix quidquam scimus præter cultum, quo prope Cameracum gaudet.

APPROBATIO.

Quantopere Bollandus, iique, qui notissimum de Actis Sanctorum Opus, abs illo sub seculi proxime elapsi annum quadragesimum tertium inchoatum, ad nostram usque ætatem continuarunt, suam in hisce colligendis digerendis ac porro illustrandis industriam probarint, nemo non intelliget, qui ex innumeris prope, quibus id in novem supra quadraginta tomis, in lucem jam emissis, præstitere Commentariis, vel paucos evolverit; quantam vero orbi Christiano utilitatem suis illis lucubrationibus attulerint, vel sola, etsi alia argumenta deessent, abunde monstraret eruditorum passim ob modo resumptum, quem in perpetuum abrumpendum putarant nonnulli, præclarissimi Operis cursum lætitia, cum summo, quo avidissime novi tomus editionem exspectant, desiderio conjuncta. Hunc, totius Operis ejusdem quinquagesimum ac mensis Octobris quartum, quem Constantinus Suyskenus P. M., Cornelius Byeus, Jacobus Bueus, Josephus Ghesquierus et Ignatius Hubenus immenso propemodum studio ac labore elucubrarunt, attentissime perlegi, nulla in re fidei ac moribus contrarium reperi preloque vel ob multiplicem, qua refertur, eruditionem dignissimum censeo. Actum Bruxellis hac 20 Septembris 1780.

C. J. LEYNIERS Lib. censor.

Imprimatur.

P. REUSS. Reg. Lib. censor.